

## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies decimus et undecimus continentur

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romæ, 1868**

De S. Germano Episcopo Vesontionensi In Comitatu Burgundiæ  
Commentarius Prævius Sancti memoria in Fastis sacris, cultus  
ecclesiasticus, Acta edenda, tempus obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71246](#)

## DE S. GERMANO EPISCOPO

VESONTIONENSI

IN COMITATU BURGUNDIÆ

## COMMENTARIUS PRÆVIUS

Sancti memoria in Fastis sacris, cultus ecclesiasticus, Acta edenda,  
tempus obitus.

CIRCA ANNUM  
CCCVII  
Sanctus, qui  
Fastis sacris  
hic memoratis  
inscribitur,

**V**esontio, quæ, in antiquis Provinciarum et Civitatum Galliæ Notitiis maxima Seguanorum metropolis habita, archiepiscopal is in comitatu Burgundiæ urbs est, inter illustres suos episcopos recenset S. Germanum, martyrii etiam corona clarum. Dominus Dunod de Charnage, regius professor Vesontionensis, Historiæ Vesontionensis, quam anno 1750 publici juris fecit, tom. I, pag. 34 refert, Sanctum in antiquis episcoporum ejusdem dioecesis Catalogis nominari, celebremque ejus esse in dictæ ecclesiæ Martyrologiis hoc die memoriam. Certe tum in antiquo Ms. Usuardi Martyrologio, ad ecclesiæ Alsatiæ et Burgundiæ usum aucto, sequentia leguntur: Bisontiae S. Germani, episcopi et martyris. Accedunt porro Usuardino isti Auctario Molanus, Castellanus, et in Generali suo Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, Catalogo Ferrarius. Ac hi quidem, quibus etiam, quod paucis dumtaxat hisce verbis, Vesontione in Galliis sancti Germani, episcopi et martyris, Sancti hodie meminit, Martyrologium Romanum hodiernum jungi debet, brevissime hodie Germanum commenmorant; Mirare autem in Fastis Belgicis et Burgundicis id faciliter prolixiori etiam adhibito sequenti elogio: ix Octobris, S. Germani episcopi XII Bisontini. Is apud Grandifontem (oppidum id temporis nobile, nunc in vicum redactum, quarto lapide a Vesontione) circa annum 896 ab Arianis, quos bonus Presul urbe Bisontina ejecerat, est interfectus. Quiescit Palmæ (quod oppidum decimo lapide a Vesontione distat) in monialium cœnobio, quod a S. Desiderato XI episcopo inchoatum S. Germanus perfecerat. Saussayus Martyrologii Gallicani parte<sup>2</sup> Sancti annuntiationi ipsa etiam ejusdem Acta ex Chiffletti Vesontione excerpit, sed comptri stylo redditâ ad elogii formam redacta subjungit; verum, cum Fasti sacri modo memorati, quibus Germanus exstat inscriptus, seculo x antiquiores seu classici non sint, ecclesiasticumque adeo ejus cultum haud probent, juveril hic, priusquam de Actis illis aliisque ad Sanctum nostrum spectantibus sermonem instituam, lectori ob oculos posuisse, quæ, Germanum cultu ecclesiastico jam a longissimo tempore in ecclesia Vesontionensi fuisse gavisum, sibique adeo locum in Operæ nostro vindicare, dilucide evincunt.

<sup>2</sup> In Museo nostro asservatur antiquum in

membrana Ms. dictæ ecclesiæ Vesontionensis cultaque ecclesiæ Breviarium, in quo de S. Germano novem lectionum, sed ex communi accipiendarum, præscribitur Officium. Adhæc aliud etiam anno 1590 typis excusum penes nos exstat ejusdem ecclesiæ Breviarium, in quo Sanctus novem lectionum, quarum tres ei propriæ sunt, Officio honoratur. Hasce, quæ et Vitæ ejus compendium exhibent, hic subjicit. LECTIO IV. Germanus Bisuntinensis episcopus, Desideratus successor, nihil nisi molestias et labores expertus est in eo munere. Tante perfectionis erat, ut sit usus saepe numero in sacris ministerio Angelorum. Convertit multos homines ab idolatria et hereticos ad fidem ecclesiae reduxit. LECTIO V. Antequam fieret episcopus, jam fuerat confessor coram tyranno examinatus, factus quoque episcopus non semel tantum, sed septies ab tribunal præsidis pertractus, semper in Christi veri Dei confessione permansit. Hæreticos autem in concionibus acriter oppugnabat: quamquam illi ut aspides obturarent aures suas, ne audirent verba Incantantis. LECTIO VI. Erat tunc temporis quarto ab urbe milliario oppidum munitum mœniis et turribus nomine Grandifons. Eo loci conveniente solebant hæretici ad sua conciliabula, auctoritatem Episcopi metuentes. Ex hoc loco igitur egressi, cum aliquando Germanus sero ex prædicatione reverteretur, et in ecclesia vici cuiusdam proximi, orationis causa, substitisset: hæretici per insidias Episcopum suum orantem sagittis confodiunt, caput etiam gladio absindunt. Sepultus est Palmæ in ecclesia Sanctimonialium, quam ipse fundaverat.

<sup>3</sup> Nec tantum duó antiqua ecclesiæ seu archidiæcesis Vesontionensis Breviaria, jam laudata, sed et veneratio, cuius initium nemo facile determinet, S. Germani reliquias ibidem exhibita, ecclesiæque sub ejus nomine Deo eretæ, quarum ætatem nusquam assignatam inveni, fuisse jam a longissimo tempore honores, Sanctis deferri solitos, Sanctum nostrum in dicta archidiæcesi adeptum, argumento sunt indubitate. Joannes Jacobus Chiffletius in sua Vesontione parte 2, pag. 58 refert, in Balmensi archidiæcessis ejusdem nobilium Virginum abbatis, vulgo Baume les Nonnes, quæ cognomine oppidum Galliæ in comitatu Burgundiæ, ad Dubim fluvium, Aleucis supra Vesontionem Montem Pelicardum versus celebre reddid, sacra S. Germani ossa pie asservari. Huic consentiens

A consentiens Dunodus in Historia Vesontio-nensi tomo 1, pag. 34, quam anno 1750 ab eo editam diximus, sic scribit: ipsius (S. Germani videlicet) sacra reliquiae, corpus scilicet in per-vetusta theca lignea, et caput in argentea in-clusa in ecclesia monasterii Balmensis honorifi-ce quiescent. Vesontionense proximelaudatum Sancti Officium, ac quæ hodieque in dicto mo-nasterio perseverat, antiqua traditio ferunt, S. Germanum, absoluto martyrio, in ecclesia Balmensi fuisse sepultum; siveque ab anno circiter 407, quem ipsi emortualem fuisse infra videbimus, pretioso illo pignore gaudere hic parthenon dicuntur. Ast id a vero longe alie-num esse dicit laudatus Dunodus, contenditque, illud nobilium virginum cœnobium circa annum 763 ducis Garnerii munificentia pri-mum fuisse conditum. Adhac eodem tempore Sancti nostri reliquias illi duci ab archiepi-scopo Vesontionensi, ut super illas Balmensem ecclesiam, prout tunc moris erat, ædificaret, concessas fuisse, conjectat idem auctor. Dunodi rationes lectoris judicio infra subiecimus, ubi

B de hisus monasterii fundatione, quam a Saneto peractam ipsius etiam Acta ferunt, sermo-nem instituemus. Bernuinus, qui circa annum 787 Vesontionensem sedem occupavit, de sacro illo corpore quasdam particulas accepit, illasque, dum metropolitam S. Joannis ec-clesiam, a fundamentis a se instauratam, con-secraret, simul cum aliis Sanctarum aliquot reliquiis, in maximam illius ecclesiæ aram inseruit. Hocque ipsum etiam fecit antistes Hugo, qui sec. xi ad medium sui partem ver-gente, floruit, dum Vesontione S. Pauli basili-cam solemni ritu dedicaret. Disco id ex co-dicibus in Chiffletii Vesontione parte 2, pugg. 92 et 176 editis. Quod modo ad diæcesis Ve-sontionensis ecclesias, Deo sub S. Germani no-nine consecratas, spectat, Dunodus hasce, quarum interim ætatem nec ab ipso, nec ab ullo alio assignari reperio, existere numero plures affirmat; cumque non sit, cur ei haec in re fides haud adhibeat, fuisse enimvero S. Germano jam a longissimo tempore honores, Sanctis propriis, in diæcesi Vesontionensi de-latis, ex omnibus modo de hoc argumento di-ctis omnino certum atque extra omnem con-troversiam positum debet videri.

habet Acta  
multis post -  
tatem suam

4 Ecclesiastico itaque Sancti cultu jam satis stabilito, modo ad ejus, quæ, ut dictum, in Chiffletii Vesontione existant, Acta sermonem convertamus, ac primum, quam fidem, quamve auctoritatem mereantur, examinemus. Acta il-la ab auctore, a Sancti ætate multis seculis remoto, fuisse exarato, vel a solo Chrysopolis nomine, quo Vesontionensem civitatem appella-t, appareat indubitatum. Neminem enim latere potu, quanto recentius nomen illud sit, quam ut aptari S. Germani tempori possit. Haec dictio, ut notat Hadrianus Valesius in Notitia Galliarum, Vesontionensibus medio ævo mirabiliter placuit, postquam eos aliquis do-cuisset, in quadam libello Provinciarum sub Provincia Sequanorum sic haberi: Metropolis civitas Chrysopolitanorum, hoc est, Vesontio-num; quod Chrysopolitanorum debere legi mox ceperit a sciolis plerisque credi ac pro indubi-tabili veritate haberi. Quare hisce Actis, nisi in iis, quæ biographum e monuuentis fide di-gnis hausisse constiterit, haud nullum fidei videtur adhibendum.

5 Dominus Perreciot in Historia Ecclesiast. diæcessis Vesontionensis apprime versatus, re-giique ætarii Vesontione consiliarius, a quo peramicum quedam de S. Germano documenta poposceram, nuper rescripsit, nihil præter jam edita a Chiffletio Acta reperi; tamen de illis, quid sentiat, liberenter se communicare. Autumnal laudatus vir, hanc apud Chiffletium lucubrationem, sicut et primorum dictæ dia-cessis Archiepiscoporum Acta a Ternatio anti-stite, qui anno 675 floruit, fuisse compositam, seu potius ex hujus antistitis Chronico solli-cita Hugonis Icura, qui Vesontionensi metro-poli anno 1040 præful, fuisse excerptam. At licet, sedulo Hugon studio, qui ex antiquis monumentis decessorum suorum præclara facta scriptis consignasse dicitur, Sancti nostri etiam Acta posteritati fuisse tradita, plausibilibus rationibus probable (quod præ-stitum nondum est) efficeretur; hæc tamen, quod ab imbecilli biographo imperite post in-terpolata, atque inconcine fabulis sint adaucta, haud multum fidei auctoritatisque apud sani judicii homines, nisi in illis asserta aliunde probentur, sibi conciliatura puto.

6 Eruditissimus Dunodus, qui citato supra libro Archiepiscoporum Vesontionensium Ca-talogos, Vitasque Commentariis illustravit, de Sancti Vita quid sentiat, exponit sermone Gallico, quem Latine sic reddo: In ipsius (S. Germani scilicet) Officii ecclesiastici Lectioni-bus legimus, Sanctum ad præsidis tribunal per-tractum, semper in veri Dei confessione per-mansisse: legimus etiam, ipsum sagittis confos-sum, in oppido Grandifonte gladio cervicem subjecisse. Quæ omnia, inquit, ex ipsius Vita in abbatia Balmensi asservata, et a Jacobo Chif-fletio edita, hujus Officii editores descripserunt. His exceptis, reliqua in dictis Actis contenta fabulis scant, nullamque fidem merentur. Hæc Acta in quibusdam commentitia esse lu-bens fateor. Quis enim ad aniles fabulas non reducat prodigium, quo S. Germani cadaver sese erexisse, manibusque etiam amputatum caput, cui in columba specie Spiritus Sanctus insidebat, septem leucarum spatio, tremente interim terra, murisque oppidi Grandifontis atque turribus cadentibus, gestasse fingitur? F Hanc capituli gestationem biographus ex eo cer-te asseruit, quod sanctum Martyrem cervi-cem in manibus portantem, ad significandum ipsius mortis genus, depictum viderit. Cum-que Sancti corpus in ecclesia monasterii Bal-mensis honorifice quiescere cerneret, fabulum novo adjuncto adornare studens, scripsit, San-cutm a Grandifonte oppido, martyri loco, us-que ad dictum cœnobium, caput amputatum præmanibus ferentem, iruisse. Quæ commenta, a Chiffletio frustra propugnata, in Officii lectionibus supra transcriptis citati Breviarii editores merito omiserunt.

7 Inspiciamus modo, qua impulsus ratione Dunodus in fabularum numero reponat, Bal-mense nobilium virginum monasterium a Sancto, ut Acta ferunt, fuisse conditum; et an eruditissimi Mabillonii legem, quam con-stanter sequendam in Historia Vesontionensis editione prima anno 1735 sibi proposuit, haud infregerit: Si falso, inquit Mabillonius, as-sentiri turpe est, cavere debemus, ne alio ex-tremo vitio circumveniamur; neque enim veri-tas minus religionis meretur, propter circum-fusos

AUCTORE  
J. B. F.  
seculis scripta.

E  
Hæc, utut in  
quibusdam  
fabulosa,

AUCTORE  
J. B. F.

fusos errores. Laudatum Dunodum ratiocinatem audiamus. Argumentum, inquit, maxime idoneum ad probandum sanctum Germanum (qui circa annum 407, ut statim videbimus, obiit) dictum cœnobium non eruisse, suppeditat nobis anonymous Vita S. Romani, seculo 6 scriptæ, auctor, dum asseverat, ante monasterii S. Claudio fundationem, quæ, ut faleatur Dunodus, circa annum 430 a S. Romano (de quo vide Opus nostrum ad diem 28 Februario) peracta est, in Provincia Sequanorum nullum monasterium exsistit. Biographi illius verba accipe : Ante Romanum nullus monachorum intra provinciam Sequanorum religionis obtenuit, aut solitariam, aut consortialis observantiae sectatus est vitam. Proinde verisimile fieri vult Dunodus, nullum etiam ante illud tempus parthenonem in dicta provincia exsistit. At unde id consectarium fieri contendit? ullane umquam lex, prius cirorum quam mulierum monasteria erigenda esse, præcepit? An præterea facta in Historia consignata argumentis e probabilitate ductis exvertuntur? Acta S. Germani expressis terminis ferunt, ipsum Balmense cœnobium condidisse, quod et alibi, quam in his Actis se legisse, Jacobus Chiffletius affirmit : Id cœnobium, inquit, vivente S. Desiderato (*Sancti nostri decessore*) adificari cœptum legimus : perfectum deinde a S. Germano, ab eoque pīs et Deo consecratis feminis attributum. Similiter in Leontii Vita, qui, fatente Dunodo, anno 443 jam plus 25 annis ecclesiam Vesontionensem rexerat, legitur hic virginum cœnobium in monte Chaudanne dicto prope Vesontionem adificasse, quod pariter Dunodus, anonymi S. Romani biographi verbis inhærent, negat. En itaque duo monumenta antiqua, quæ clare tradunt, ante S. Romanum in Sequanorum provincia virginum monasteria erecta fuisse. Facta ita expresse in monumentis antiquis signata levibus conjecturis nullo modo elevanda ridentur. Quod et postea ipse Dunodus satis sensit; nam in citati Operis editione recentiori anno 1750, anonymi S. Romani biographi verbis hanc amplius nixus, Leontium supradictæ abbatiæ fundatorem dixit; sicque argumentum, quod

C maxime idoneum, ad negandum S. Germanum unquam parthenonis Balmensis fuisse fundatorem, prius existimarat, improbatum, ac idcirco in recentiori Operis sui supra laudati editione lectori amplectendum haud proprie videtur.

contra Dunodum ostenditur,

8 Aliud argumentum, quo opinionem suam Dunodus tuerit, ac Balmense cœnobium tempore Caroli Magni a duce Garnero fuisse conditum contendit, repetit ex hisce, quæ Albericus in Chronico ad annum 763 refert, Hugonis a S. Victore verbis : Iste dux Garnerus fundavit abbatiā monialium de Balmis, ubi positus est, et adhuc nobilissimam habet ibi sepulturam. Certissimum est, Hugonem de Balmensi nobilium virginum monasterio hic loqui; at etiam haud minus verum est, Hugonem fuisse allucinatum. Certo aliqui legerat vel audierat, ducem quemdam Garnerum plura dona huic monasterio fuisse largitum, ibidemque in pulchro mausoleo quiescere; cumque Caroli Magni tempore ducem Garnerum quemdam exsistisse inveniret, hunc cum ducem, plurima dona dicto parthenoni largito, eundem existimari, omnemque ipsi honorem adscriperit, quem circa annum 600 Garnerus

seu Vuarnarius palati Burgundici comes, D dictum monasterium, a Wandali antea devastated, reædificando redditibus quæ dedito acquiserat. Chiffletius hic opportune ad institutum nostrum sic scribit : Id cœnobium, vivente adhuc S. Desiderato, ædificari cœptum legimus : perfectum deinde a S. Germano, ab eoque pīs et Deo consecratis feminis (quæ postea Benedictinum institutum sequutæ sunt) attributum; a Wandali posterior disjectum, ac deinde circa annum 600 a Vuarnario palati Burgundici comite reædificatum atque auctum proventibus.

9 Ex S. Ermenfredi, primi Cusantiensis abbatis, sincera et fide digna Vita, in Operे nostro ad diem 25 Septemboris edita, quam Egilbertus dictæ domus abbas, ejusque monachus ante annum 782, ac proin ante Caroli Magni, quæ, quemadmodum Pagius in Criticis ostendit, anno 742 evenit, nativitatem scripsérunt, manifestum fit, Balmensem abbatiam ante annum 763, quod Dunodus negat, fuisse erectam; nam ibidem Cusantienses monachi de illo parthenone, ac si sua ætate jam antiquis haberetur, loquuntur. Citatæ Vitæ caput 3 E hæc habet : Sed nec illud silendum est præcipue, quod reclusa quædam sanctimoniales feminæ, quæ erat penes monasterium virginum Balmam, distante a cella eadem plus aut minus millibus sex, in ipsius (*Ermenfredi*) articulo mortis vocata ad se ministra ait : Wade, inquit, cito die Warnerio vel sororibus, quia dominus Ermenfredus nunc de hac vita migrat ad Dominum. Nam fuit consuetudo antiquitus in prefato monasterio, ut una ex ipsis, cuius animum Spiritus Sanctus ardentius illustrasset, reclusa haberetur, una cum sola tantum ministra. Æquis lector modo judicet, an Dunodi conjecturæ rationesque huc in medium adductæ evidenter, ut ipse contendit, probent, Balmense nobilium virginum monasterium. S. Germani munificientia non fuisse erectum. Judicet, an ex laudati auctoris argumentis consectarium fiat, *Sancti nostri Acta*, antiquamque, quæ hodieque perseverat, traditionem, dum ipsum Balmensem abbatiam fundasse ferunt, esse commentitia.

10 Superest, ut nunc in tempus, quo Vesontionensem sedem adierit, ipsamque pretiosam in conspectu Domini morte vacuam reliquerit Sanctus noster, inquiramus. Decimus tertius in antiquiori archiepiscoporum dictæ dioecesis Catalogo, in recentiori vero duodecimus, quod de Ferreli, quem inter Linum et Maximum medio loco velutum Catalogus collocat, episcopatu non satis constet, recensetur. Sancti Acta, ipsum S. Desiderato successisse, ita ferunt : Post gloriosum beati Desiderati ad celos transitum beatus Germanus vir apostolicus .... electus est. At cum annum S. Desiderati emortuale nec Acta nec Catalogi diserte exprimant, sed tantummodo ipsius mortem circa annumcccc, uti in Operे nostro ad diem 27 Julii videre est, contigisse referant, inde fit, ut annum, quo Sanctus hanc sedem adierit, pro certo determinare in promptu non sit. Nec annum, quo vitam hanc mortalemcum immortalis S. Germanus commutari, vel ipsamet ejus Acta, vel editi apud Chiffleum laudatumque Dunodum episcoporum Vesontionensium Catalogi assignant. Petrus Franciscus Chiffletius S. J., qui in Illustrationibus Claudiani, in Operे nostro ad diem vi Junii editis, citatos

parthenonis  
Balmensis  
fundationem  
adscrubunt,

editisque a  
Chiffleto, a  
quibus, Sanctum circa an-  
num 487 obi-  
isse deducuntur,

A citatos Catalogos commentatus est, facto annorum computo, quibus Sancti decessores successores quedam sedem occupasse, in fide dignis monumentis reperiuntur, ipsius obitus tempus circa annum 407 retulit, eique consenteat in Gallia Christ. Sammarthani fratres, et Castellanus in Mrl. Universali, ipsum illo circiter anno aeterna a Deo mercede remuneratum scribunt. Cardinalis Baronius ipsum anno 372 ex hac vita migrasse haud sine errore dicit; nam cum S. Fronimius seu Froninius (cui S. Desideratus, ac deinde Sanctus noster successerunt) tempore summi Pontificis Siricii, qui ab anno 385 usque ad 398 Ecclesie presul, vixisse in ipsius Actis, in Operis nostro ad diem x Maii relatis, legatur, emortuale Sancti tempus anno 372, quo nondum erat episcopus, non potest affigi.

luceque proinde haud penitus sunt indigna, nos ea, e Chiffletii Vesontione excerpta, Commentario huic, Adnotationibus etiam, ubi id res exiget, subinde adjunctis, subjiciemus, rati scilicet, futurum, ut, quamvis fabulis, ut dictum, sint responsa, lectori tamen, qui sic illa habebit in promptu, nec alio, si, ut a se consulantur, quæpiam forte ratio impulerit, recurrere hunc in finem habebil necesse, rem faciamus haud omnino ingratam.

## ACTA,

Auctore anonymo,

E Ms. monasterii Balmensis Legendario in Chiffletii Vesontione edita.

## CAPUT UNICUM.

Eximia Germani sanctitas, zelus in haereticos, mors ab his illi inflita, prodigium hanc secutum.

Post gloriosum beati Desiderati a ad caelos transitum, beatus Germanus, vir Apostolicus, signis et prodigiis inclitus, concordante favore populi, aut potius Dei spiritu proclamante (virilim ministerii deputatus) aliquando sacris altaribus sacerdos electus est. Factus ergo presbyter tanta sanctitate emicuit, ut in Missarum solemnibus, inter manus ministerium angelicum appareret. Qui etiam tante dignitatis fastigio sublimatus, multis calamitatibus ac tribulationibus hujus mundi pro Christi nomine est affectus.

Sanctus qui dumtaxat adhuc presbyter sanctitate emicuerat,

a

2 Nullis usus est prosperis, cum omnia adversa pro Christi amore portaret. Hic ante episcopatum probabilis fuit confessor et in episcopatu nihilominus semel et iterum, usque septies pro nomine Salvatoris examinatus atque dijudicatus est: hic fecit vasa plurima sacra, sacris altaribus apta: ministeria quoque sacra solerti industria sancivit: denique sua prædicatione ac traditione, multos ad credulitatem et baptismum Christi convertit.

Factus episco-pus strenuissi-me omnes mu-nieris hujus partes explet,

dumque haer-eticos insecta-tur, ab his,

b

3 Postquam vero prædictam plebem ad verum Dei cultum præfatus Dei Pontifex convertit, et multos a variis languoribus liberavit; haereticos etiam, qui in sua civitate Chrysopolis b remanserant, in suis prædicationibus graviter impugnabat, et ut eos ad viam veritatis reduceret, modo blandimentis vel exhortationibus; modo increpationibus vel vituperiis corripiebat: sed quia, dicente scriptura: In animam malevolam non intrabit sapientia, neque cordibus induratis et subditis peccatis c. Sicut aspis surda contra incantorem, ita et haeretici contra

episcoporum  
Vesontionen-sium Catalogus,  
uti hic adducatur  
suadent,

11 At laudatis auctoribus dissentientis Dunodus, Sancti episcopatus obitusque tempus circa annum 270 esse statuendum, sequentes ob rationes contendit, quas ex his Sancti biographi verbis deducit: Hic ante episcopatum probabilis fuit confessor, et in episcopatu semel et iterum pro nomine Salvatoris examinatus et dijudicatus. Ex his, inquit Dunodus, sequitur, tunc temporis persecutorem tribunal extitisse, quod Honorii tempore, quo imperante, Sanctum obiisse, nostri Catalogi ferunt, certo non potuit contigisse; nam tota Ecclesia et præcipue Vesontionensis, Honorio imperii habenas tenente, optata pace jam fruebatur. At tantum abest, ut Actis his, Sanctum tempore, quo ecclesia Vesontionensis persecutionem patiebatur, martyrum subiisse, consectarium fiat, ut contra, tunc religionem Catholicam omnino fuisse dominalam, satis eadem illa Acta insinuant; expressis enim verbis ferunt, haereticos ex civitate Vesontionensi a Sancto pulsos, eandem in posterum ingredi haud ausos fuisse, atque S. Germanum morti a judice non adictum, sed, illata ab haereticis sacerdis nece, martyrio fuisse affectum. Si in episcopatu, ut ipsius Acta ferunt, semel et iterum, usque septies pro nomine Salvatoris examinatus et dijudicatus fuerit, id a provinciae præsidibus haereticis vel paganis, graviori in ipsum poena sevire nunquam ausis, fuerit patratum. Iposrum hæc circumspectio, Sanctum sub Catholicis imperitoribus vixisse, satis declarat; nam si paulo post annum 267, et tempore persecutionis Aurelianæ ecclesiam Vesontionensem rexisset, haud tam sepe examinatus et dijudicatus fuisse: a primis vicibus ipsius liti finem judices certo imposuerint. Illa Sancto creatæ molestiæ Honori regno haud repugnant, cui, tunc adhuc minorenni, et plurimum a Provincia Seguanorum remoto, hujus provinciæ gubernator consilia sua dissimilare facile poterat.

12 Quæcum ita sunt, Sancti nostri Acta, e quibus sane, quod null Dunodus, consectarium non esse, ex modo allegatis liquet, suffragantur etiam supra memoratis, e quibus, Sanctum circa reparatæ Salutis annum 407 ex hac vita migrasse, deducitur. Vesontionensis episcoporum Catalogis, adeoque facere, ne hic hisce una supra laudatis auctoribus subscribamus, haud debent. Adhuc cum eadem Acta, Balmense Virginum nobilium monasterium fuisse a S. Germano fundatum, recte etiam, ut e supra allegatis palam est, memoria tradant,

suffragantia.  
Commentario-  
que huic sunt  
subdenda.

**A. ANONYMO.**

contra prædicationis verbum obturabant aures suas et sicut Judæi in B. Stephanum, ita isti in B. Germanum dentibus fremebant; et, si eum extra civitatem invenire potuissent, non minus, quam Judæi Stephanum, isti Germanum lapidassent.

*quas Vesontio-  
ne Grandion-  
tem abire com-  
pulerat,*

*insidiis ibidem  
appetitur,  
d*

*ac tandem oc-  
ciditur:*

*caput sibi ab-  
scissum post  
necem arripit,  
indeque*

*9*

*C*

*rens*

*Spiritum sanctum, in similitudinem col-*

*lumbæ. Qui dum de vico exisset, terra tremuit,*

*et ceciderunt muri civitatis illius et turres g.*

*Et, qui viderunt haec omnia, dixerunt: Vere*

*magnus est Dominus, quia talia operatur; vere*

*amicus Dei erat hic: et conversi sunt populi*

*multi.*

4 Erat autem quarto ab urbe milliario quedam civitas, nomine videlicet Grandifons; in qua quidem civitatem multi hæretici fluxerant ad refugium, propter metum beati Germani, qui hæreticos omnes, quos invenire poterat, a civitate et patria extirpabat: ibique die et nocte dicti hæretici, sua iniqua consilia peragabant. Gloriosus igitur Germanus hæc audiens, de Chrysopoli exiit, et ad civitatem illam perrexit: ad cujus adventum per odium et invidiam exierunt, et ad persequendum eum ad stipulati sunt.

5 Quid plura? intenderunt arcum suum, ut sagittarent in occulto Immaculatum d, id est, insidiabantur ei, ut eum morti traducerent, si possent: verumtamen quia in aperto nocere non audebant, disponuerunt ei insidias ponere. Erat enim quidam vienus in civitate, per quem ire et redire solebat: et cum Deus Famulum suum illum, veritatis pugilem, donativo gloriae celestis remunerare vellet, raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut fictio deciperet animam ipsius e.

6 Et vere raptus; nam cum quadam die a civitate sero reverterentur, et per vicum illum, sicut solebat, transire vellet, illi miseri, qui arcum insidiarum tetenderant, quasi sagitta de occultis insidiarum possilientes, sanctum Germanum orantem invenerunt: et dum oraret, audita est vox consolans eum; quod audientes hæretici f dicebant: magicam artem esse; alii vero dicebant, angelos confortantes: cuius gratia conversi sunt plurimi. Ipso orante, sagittaverunt eum et armis suis capite privaverunt: ita consummatus in brevi explexit tempora multa, placita enim erat anima ipsius.

7 Post haec flexus caput suum inter brachia recipit: de quo multi obstupescentes fugerunt. Gloriosus itaque martyri Christi Germanus, et sacra rdos Domini dilectissimus, inter amplexus caput habens, angelo duce et caelesti lumine præcedente, progrederetur, super caput suum fe- C rens Spiritum sanctum, in similitudinem columbae. Qui dum de vico exisset, terra tremuit, et ceciderunt muri civitatis illius et turres g. Et, qui viderunt haec omnia, dixerunt: Vere magnus est Dominus, quia talia operatur; vere amicus Dei erat hic: et conversi sunt populi multi.

8 Qui cum ante ecclesiam beatorum martyrum Ferreoli et Ferrutii h accessisset, inclinavit se ibidem et inde pertransiens circa Chrysopolim a latere desuper, ac ecclesiam et civitatem se inclinans, sine mora perrexit usque Balmam, declinavitque ad quamdam basilicam juxta maiorem ecclesiam i, ibi enim fundaverat sanctimoniales, ibique obdormivit in Domino Jesu Christo. Cetera miracula causa brevitatibus omittemus: ipse enim tanta sanctitate præpollebat, quod etiam spiritu prophetie plenus erat: omnes morbos a corporibus humanis expellebat, præstante Domino Jesu Christo, cui est honor et gloria in saeculorum saecula, amen.

*id manibus ge-  
stans Balmam  
usque progre-  
ditur.*

*h*

## ANNOTATA.

a *De hoc Sancto in Opere nostro ad diem 27 Iulii actum est.*

b *Vide Commentarii prævii num. 4*

c *Sapient. cap. 1, §. 4 legitur: Nec habitabit in corpore subditu peccatis.*

d *Psalm. 63, §. 4.*

e *Sapient. cap. 4, §. 11.*

f *Hæc Acta, cuius sectæ fuerint hæretici, qui sancto vitam ademerunt, non exprimunt; cumque quatuor prima Ecclesiæ secula plus quam 80 diversas hæreses effuderint, non est, cur cum Dunodo, sicarios hosce hæreticos Arianissimo potius, quam omni alia hæresi infectos fuisse, credamus.*

g *Mih prorsus ignotum est, e quo antiquitatis monumento, antiquis geographis silentibus, biographiushic hauserit, Grandifontem, hodie pagum duabus leucis ab urbe Vesontionensi dissitum, olim civitatem turribus murisque fuisse munitam. Frustra, inquit Dunodus, in illo pago murorum vel antiqui cujusdam ædificii vestigia quiesceris.*

h *De his Sanctis in Opere nostro ad diem 16 Junii, quo coluntur, actum est.*

i *Ex his biographi verbis dominus Perre-  
ciotus vult consecrarium fieri, hæc Acta ante  
Balmensis civitatis conflagrationem, quæ xii  
seculo contigit, collecta fuisse: Ista major ec-  
clesia, inquit, certo erat devastata nunc ec-  
clesia parochialis S. Sulpicii, cuius limites, ut  
nuper fuit repertum, usque ad civitatis Bal-  
mensis muros sese extendebant: sieque tunc F  
temporis triplo major erat incombusta abbatis  
Balmensis ecclesia, quæ ipsi etiam hodie proxime  
adjacet: ab illo autem incendio semper abba-  
tialis multo major S. Sulpicii hodierna ecclesia  
exstitit: inde manifestum fit, S. Germani Vi-  
tam ante illud tempus fuisse exaratam.*

DE

